

CAPUT IV.

DE MODO REFUTANDI.

§. 1.

Refutare alium quid? quot modis fieri id possit?

Refutare quemquam est eum erroris convincere. Unde qui refutare alium intendit, aut illius, quod adserit, falsitatem, aut oppositi veritatem ostendat perspicue, vel evidenter demonstret; si prius, directe, indirecte vero refutabit, si posteriorius praestiterit.

§. 2.

Refutatio quomodo differat ab impugnatione qualicunque?

Hinc intelligi etiam potest, quomodo refutatio ab impugnatione qualicunque differat: impugnare enim alium dicimur, si errasse eum insufficenter, nec perspicue scilicet, nec evidenter comprobamus, aut difficultates solum alias contra illius adseratum obmoveamus.

§. 3.

Quaenam refutari, quaenam impugnari solumqueant?

Ex his porro intelligitur, adseratum legitime demonstratum refutari nunquam posse: quoniam alias

alias id ipsum verum simul & falsum foret. Impugnari tamen illud adhuc poterit; poterunt nimirum varia illi dubia & difficultates in speciem obverti.

§. 4.

Qua ratione sui refutandi periculum aliquis evadat?

Quo igitur aliquis adserta sua ab aliis aliquando refutari haud pertimescat, necesse est, ut eadem legitime demonstret; quo ipso adserta opposita indirecete saltem refutat.

§. 5.

An & quantum liceat propositionem legitime demonstratam impugnare?

Propositionem legitime demonstratam refutari quidem nunquam, bene tamen impugnari posse, liquet ex praecedentibus; sed quaeritur, an & in quantum illud liceat, conveniatque? licebit autem imo conveniet intuitu Tyronum, ad capiendum scilicet periculum, num demonstrationis evidentiam sat mente comprehendant; quem in finem tam publica quam privata disputationum exercitia, de quibus mox infra dicetur, institui solent. Licebit porro, si de ipsa forte demonstrationis bonitate nondum plane constet, aut difficultates saltem aliquae ratione consequentiarum occurrant.

§. 6.

§. 6.

*Quid ratione consequentiarum observandum
fit?*

Quia consequentiarum mentionem hic aliquam jam fecimus, easque rationem impugnandi propositionem etiam demonstratam esse diximus; quaedam circa consequentias ex thesi seu propositione adserita formandas probe notanda seu cavanaugh potius silentio praeterire non possumus. Cavendum autem 1. ne consequentiae formentur animo nocendi potius, quam impugnandi. 2. Ne, quod ex propositione adserita minime fluit, inde tamen sequi malo animo adseratur. 3. Ne tandem, quod ex thesi reipsa consequitur, eam adserenti continuo imputetur: esse enim potest, ut ejusmodi sequelam minime perspexerit. Qui plura hac de re legere cupit, legat Baumeist. *Instit. Philosoph. ration. §. 507. sequentibus.*

C A P U T V. DE MODO DISPUTANDI.

§. 1.

Disputatio quid?

Disputatio est mutua duorum unius adserentis, qui defendens, alterius impugnantis, qui opponens dicitur, de eodem concertatio.

Z

§. 2.